B XII 18/5 4 P 50289

Q. D. B. V.

DE RE MEDICA VETERVM GRAECORVM AD ILLVSTRANDA QVAEDAM DIVINI CODICIS LOCA DISQVIRIT

VIROQVE

MAGNIFICO EXPERIENTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IO. NIC. WEISSIO

MED. DOCT. ANATOM. CHIRVRG. ET THEOR. PROF. PVBL. CELEBERRIMO

FAVTORI MVLTIS NOMINIBVS COLENDO

PVRPVRAM ACADEMICAM

QVA ITERVM ORNATVR

FAVSTAM FELICEM FORTVNATAMQVE

PRECATVR

CHRISTOPH. MELCHIOR SCHMIDBAVER, NOR.

PHIL. ET THEOL. CVLT.

ALTORFII

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

D. XXVIIII. IVNII A. C. MDCCXXXXVI.

CONSPECTVS.

§. 1. *inſtituti ratio.*
2. *de medicinae origine falſa.*
3. *de medicinae origine uera.*
4. *de apotheoſi auctorum ſuperſtitioſa.*
5. *medicinae diuiſio in magicam et ueram.*
6. *medicina magica generatim.*
7. *ſpeciatim α. de amuletis.*
8. *β. de incantationibus.*
9. *γ. de incubationibus.*
10. *δ. de ſpeculo magico.*
11. *Tranſitus ad ueram medicinam.*
12. *de Graecorum ſcholis medicis.*
13. *de medicis Graecorum.*
14. *de medicorum Graec. ſectis*
15. *de mulieribus medicis Graecorum.*
16. *de expoſitione aegrot. in uias publ.*
17. *de incrementis medicinae uariis apud Graecos.*
18. *de medicis Graecorum apud exteros claris.*
19. *de medicor. Graec. honoribus.*
20. *de medicor. Graec. ſtatu libero, non ſeruili.*
concludit Gratulatio.

§. I.

Medendi artem caeteris, quae ſolius rationis uſu cognoſcuntur, palmam praeripere aut ſaltem dubiam reddere, teſtatur uita mortalibus cariſſima, in qua conſeruanda et contra ualetudinem incommodam tuenda uerſatur. *inſtituti ratio* Quid enim praeſtabilius homini eſt conceſſum a diuini numinis benignitate? felicem ſe nunquam praedicare poteſt homo, niſi gaudeat corpore ſano; qua uero ratione huius felicitatis compos reddi poteſt, niſi artis ſalutaris praeſidio munitus? uariis quippe ipſi conflictandum eſt morborum generibus. Hinc iam uetuſtiſſimis temporibus haec ars eiusque cultores ſummis condecorati fuerunt laudibus, id quod Homeri elogium confirmat:

Ιητρος δε ἑκαςος ἐπιςαμενος περι παντων odyſſ. u. 231.
ἀνθρωπων. ἡ γαρ Παιηονος εἰσι γενεθλης

Ex Paeonii generatione eſſe idem eſt, ac excellere in arte medendi, Paeon enim Deorum fuit medicus, ut Scholiaſtes ad Iliad. E. obſeruat: *ὁ των Θεων ἰατρος Παιων*, hinc omnes u. 401. praeſtantes medici antiquis uocabantur Paeonii u. gr. Aeſculapius Sophocli audit: *ἰατης παιωνιος*, et AESCHYLVS per Paeonem quemuis medicum deſignat: *Παιων τε γενȣ της δε μεριμνης*, Agam. u. 199. *medicus* ſis huius ſolicitudinis. Conſtitui adeo mecum huius artis fata apud Graecos delineare, et uaria, quae hac de re literis tam ueterum, quam recentiorum ſunt conſignata, et horis ſubcaeſiuis a me collecta, paucis hiſce exhibere paginis. Confiteor quidem, me uiribus ad hoc propoſitum neceſſariis eſſe deſtitutum: enitar tamen, qua poſſum opera, ut ſincerum ueritatis inueſtigandae ſtudium mihi non defuiſſe uideatur.

§. II.

de medic. origine falſa. In ultima medicinae origine inquirenda uarii dantur eruditorum diſſenſus; narrationes enim paganorum non ſatis diſtincte declarant, quis ueterum primus medendi praecepta condiderit. De illis nihil dicam, qui primum hominem, quem omnium artium auctorem atque inuentorem faciunt, huc quoque referunt, quorum rationes iam deſtruxit C. A. HEVMANNVS; *in act. philoſ.* neque longus ero in enarrandis ueterum opinionibus diſſentientibus, quum Homerus Paeonem et Aeſculapium, Pindarus Apollinem et Chironem, Aeſchylus Prometheum, Diodorus Mercurium, et alii alios auctores faciant. Fuerunt iam olim, qui in his diuerſis opinionibus conciliandis operam poſuerunt. HYGINVS *fab. 274.* ſibi uidetur rem optime compoſuiſſe, quando Chironi inuentionem medicinae chirurgicae, Apollini ocularíae et Aeſculapio clinices, tribuit. MACROBIVS *Saturn. lib. I.* Apollinem et Aeſculapium in unum redegit hominem, quod hic ex illo natus dicatur et eodem diuinationis iure gaudeat, quae argumenta quidem ſtringentibus annumerari haud debent. Relinquimus lites, quas componere haud eſt noſtri; et quid Graeci de origine huius artis crediderint, narramus. ISIDORVS HISPALENSIS *orig. l. IV. c. 3. p. m. 913.* memoriae prodidit, Graecos APOLLINEM eiusque filium AESCVLAPIVM pro auctoribus et repertoribus huius artis habuiſſe. Conſentaneum profert teſtimonium de Apolline, eiusque in re medica inuentis PINDARVS:

Pyth. od. V. ſtroph. 3.

ὁ και βαρειαν νοσων
ἀκεσματ᾽ ἀνδρεσσι και
γυναιξι νεμει

hymn. Apol. v. 45. CALLIMACHVM huic adiungo canentem:

- - - - ἐκ δε νυ Φοιβου
ἰητροι δεδαασιν ἀναβλησιν θανατοιο

EZ. SPANHEMIVS ex Philonis legat. ad Caium id quoque confirmat, ubi Apollo σωτηριων φαρμακων εὑρετης προς ὑγειαν ἀνθρωπων dicitur. OVIDIVS ideo artem medendi ab auctore nominat Apollineam:

Apollinea qui leuet arte malum Triſt. lib. III. el. 3. u. 10.

Vnde factum eſt, ut Graeci eum una cum filio ſplendidiſſimo σωτηρος titulo ornauerint, qui paſſim in eorum ſcriptis occurrit, et ſucceſſu temporis aliis quoque, qui in arte medendi excellebant, imponebatur, ut multos apud Graecos σωτηρες και σωτειρας inuenias.

§. III.

de medic. origine uera. Si bene calculum poſuiſſent ueteres, facili negotio prima medicinae incunabula detegere potuiſſent, neque opus habuiſſent, diuerſos ſibi fingere modos, quibus Dii hominibus hanc artem, quaſi inſpirarint; per longam enim experimentorum obſeruationem in formam artis redactam eſſe quis eſt, qui dubitet? MAXIMVS TYRIVS de omnibus artibus comprobat, ea, quae a Diis inuenta olim dicebanur, per experientiam et rationem hominibus innotuiſſe: αἱ περι θεων δοξαι αρξαμεναι ανωθεν, δια πασης φιλοσοφιας ηλθον. (diſſ. 29. p. 302.) Primis temporibus quiuis ſibi ſuisque medicamenta compoſuit et periculum fecit, ſintne ſaluti noxia an utilia? quod ſi forte ſaluti conſeruandae inſeruiebant: tunc domeſticis aliisque cognatis retulerunt, et ſic prima initia medicinae fuere conſtituta. Vt enim experientia omnis ſcientiae, qua modo homines gaudent, mater habetur: ita quoque in arte ſalutari ſeſe rem habere, per ſe patet. Id quod iam ueteres, qui ſaniorem philoſophandi rationem ſunt ſequuti, cognouerunt. MAYIMVS TYRIVS omnem ſcientiam experientia, uſu et ratione niti diſtincte aſſerit: ἀρα παν ὁπερ ἀν ἡ αισθησις αθροισασα τῃ κατα βραχυ θεωρια, ἐμπειριαν τουτο ὀνομαζουσι, προσαγαγῃ τῃ ψυχῃ, και μετα τουτο ἐπισφραγισηται ὁ λογισμος τῃ ἐμπειρια, τουτο φωμεν ἐπιστημην εἰναι. (diſſ. 40. p. 416.) Paucis interiectis ſpeciatim oſtendit, ſcientiam medicam longa experientia ortam atque ratione conformatam fuiſſe. Loquutus antea de uariis modis, quibus ueteres mare tentarunt, et per gradus nauigandi peritiam experientia collegerant, tandem pergit: φασι δε και ἰατρικην ευρησθαι το ἀρχαιον ὡδι: Κομιζοντες οἱ οἰκειοι τον

καμνοντα εἰς των ἀγυων την ἐν τϱιβῃ, κατετιϑεντο· ἐφιςαμενοι δε οἱ ἀνϑϱωποι, και ἀνεϱωτωντες το ἀλγος ὁτῳ το αὐτο ξυμπεσον, ἐπειτα ὠνατο ἠ ἐδωδῃ τινι, ἠ καυσας, ἠ τεμων, ἠ διψησας· παϱετιϑεντο ἑκαςοι ταυτα καμνοντι οἱ πεπονϑοτες πϱοτεϱον και ὠφελημενοι. ἡ δε ὁμοιοτης τȣ παϑȣς συναϑϱοισασα την τȣ ὠφελησαντος μνημην, τῃ κατ᾽ ὀλιγον ἐντευξει ἐπιςημην ἐποιησε το παν. Volunt quidam ideo ueteres ſapientiores Aeſculapio gallum ſerpentemque conſecraſſe, animalia, quae uigilantia et aſtutia uincunt caetera, ut quaſi per ſymbolum indigitarent poſteris, medicinam experientia fundatam et ratione in artis formam redactam eſſe. Ex his patet, quos ueteres medicinae auctores habuerunt, eos nullo modo tales praedicari poſſe: praeſtantiſſima enim haec ſcientia non unius opera atque induſtria eſt reperta, ſed per longa ac uaria experimenta ſenſim incrementa cepit. In hoc declinarunt ueteres, quod collectores eorum, quae uſu hominibus in medicina innotuerunt, et emendatores, ſtatim pro primis habuerunt auctoribus, unde tam uarius de illis diſſenſus in eorum ſcriptis occurrit Diuerſo enim tempore locoque quidam hoc negotium in ſe ſuſceperunt: diuerſos igitur et ueteres nobis aſſeruarunt medicinae auctores. Quod uero ad ſpecialiorem medicae artis in Graecia ortum ſpectat, multa accepiſſe Graecos per commercia cum Phoenicibus et Aegyptiis, iam ſatis conſtat ex hiſtoriarum ſcriptoribus; plures ideo in Aegyptum fuerunt profecti, ut hinc ſcientiam medendi in
l. XXII. 16. ſuam reportarent terram. Hinc illi Medici, qui Alexandriae huius artis praecepta didicerunt, teſte AMMIANO MARCELLINO, prae caeteris, qui aliunde artis notitiam habuerunt, commendabantur.

§. IV.

de apotheoſi auctorum ſuperſtioſa.

Iure uero reprehenduntur Graeci, quod fere omnes medicos, qui modo fama innotuerunt et de eorum ſanitate bene memeriti erant: praecipue autem quos repertores huius artis putarunt, in Deorum numerum retulerint; et bene ſapienterque feciſſent, ſi hanc artem retulerint a Deum, uerum omnis ſcientiae auctorem, ſed turpiter errarunt, quum referrent a Deos plures,

et quum intelligerent, eam a Diis uenire, pleroſque qui hanc artem exercuerunt, Deos ipſos putarint eſſe. Quae res illis cum caeteris paganis communis fuit, ubiuis enim *Diis primum inuentores ſuos aſſignauit medicina caeloque dicauit* teſte PLINIO; et licet omnes artes inuentoribus ſuis immortalitatem pepererint, ut refert LACTANTIVS, prae omnibus tamen hoc ſibi uindicauit ſola medicina, id quod teſtatur AVSONIVS:

tt. N. l. XXIX. c. I.

diu. Inſt. l. I, c. 18.

- - - ſtuduit medicinae
diſciplinarum quae dedit una Deum. ad Syagr. u. 13.

Praecipue ideo inclaruerunt Aegyptii, quorum apotheoſin medicam exponunt, qui fabuloſas ueterum de Diis traditiones collegerunt, et de eorum cultu commentati ſunt. Abſurditatis notam ſubterfugere nequeunt, quod praeter homines, qui morborum uulnerumque remedia nouerunt, etiam herbas, quibus utebantur, diuino proſequuti ſunt cultu. Deriſit IVVENALIS abſonam eorum ſuperſtitionem et tandem in haec uerba erumpit:

O ſanctas gentes! quibus haec naſcuntur in hortis Sat. XV. u. 10.
numina

Quid quod interdum eo dementiae ueteres ſunt delapſi, ut morbis ipſis templa erigerent cultumque praeſtarent, quam ſtultitiam uituperat PRVDENTIVS:

par furor illorum, quos tradit fama dicatis Hamart. u. 157.
conſecraſſe Deas febrem ſcabiemque ſacellis.

Equidem Graeci non tam craſſiſſimis erroribus famam ſuam maculaſſe, porrum cepaſque coluiſſe, aut febri ſacella extruxiſſe uidentur: quum ipſi, prout ex PLVTARCHO liquet, mores Aegyptiorum irriſerint, qui eorum cultum irriſione obnoxium eſſe pronuntiat: γελωτος και χλευασμȣ καταπεπληκασι τας λειτȣργιας. MAXIMVS TYRIVS Aegyptiorum religionem copioſe perſtringens, quod animalia, plantas et reliqua cultu fuerint proſequuti deridendo, tandem addit, Graecos non adeo ſuperſtitioni fuiſſe deditos; ſed plurima, quae abſona uideri poſſunt, omiſiſſe: και Ἑλληνες μεν θυȣσι και ἀνθρωποις ἀγαθοις

de Iſide p. 347.

diſſ. 38. p. 399.

θοις και τιμωνται μεν αὐτων ἁι ἀρεται, ἀμνημονȣνται δε ἁι συμφοραι· παρα δε Αιγυπτιοις, ισοτιμιαν μεν ἐχει το θειον τιμης και δακρυων. Neque tamen plane erroris expertes ſunt cenſendi: hoc enim quoque retinuerunt Graeci, ut Deos ſibi finxerint mortales, quos homines eſſe ipſi neſcire non poterant; diſſ. 29. p. 304. praeclare iam dixit MAXIMVS TYRIVS finxiſſe ſibi Deos mortales et homines immortales: σκοπει τον Ἡρακλειτον, θεοι θνητοι, ἀνθρωποι ἀθανατοι. Omnes ſcil. Graeci non ſolum inuentores, ſed et caeteros in re re medica eximie uerſatos uiros ſolemni conſecratione in Deorum numerum retulerunt. De repertoribus Apolline nempe et Aeſculapio ſecundum §. II.) res eſt mythologis notiſſima, quum in honorem utriusque templa fuerint a Graecis erecta. Apollinis templum deſcribit PAVSA-
l. II. p. 365. NIAS: Απολλωνος ἐςιν ἱερον προς θαλλασσῃ τιμας ἐχων. ἀρχαιοτατον τε γαρ λογω τω Μεσσηνιων ἐςι, και νοσηματα ὁ θεος ἱαται. Eius religione ducti Athenienſes ſolebant iurare per Apollinem, ut obſeruat Demoſthenes adu. Polydem. quod iusiurandum ipſis tam ſanctum fuerat, ut qui peierauerat, per Appollinem fideiubere cogeretur, ἐπεγγυαν δε ἐπωρκησαντα τον
p. 708. Ἀπολλω, ut ex Lyſia refert EZ. SPANHEMIVS in obſeru. ad Callimachi hymn. in Apollinem. Aeſculapio duo condiderunt templa Athenis, unam intra, alterum extra urbis moenia in Piraeeo,
p. 88. ut teſtatur Scholiaſtes Ariſtophanis; ideo Homerus in hymno, quem in Aeſculapii honorem compoſuit, eum διαν uocat, et hoc epitheto ad cultum eius diuinum reſpicit, qui in ſequentibus magis a nobis explicabitur. Summo hoc, quo Graeci eos affecerunt honore, factum eſt poſtea, ut in Hippocratis iureiurando medico per Appollinem et Aeſculapium ſanctiſſimo ſacramento ſeſe obſtrinxerint eius diſcipuli: ὀμνυμι Ἀπωλλονα ἰητρον και Ἀσκληπιον και Ὑγειαν και Πανακειαν. Vt uero eorum exempla afferam, qui quanquam repertoris titulo haud ornati, ſed tantum artis probe periti fuerunt, eodem tamen diuino honore digni cenſebantur; adducam Machaona de re medendi

dendi optime meritum, cuius nomine ueteres quemlibet medicum *κατ' ἐξοχὴν* ſignificabant, prout ex MARTIALE patet l. II. el. 16.

Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Huic medico Geraniae, oppido in finibus terrae Laconicae ſito, fanum erexerunt, ſtatuam eius corona cinctam in medio poſuerunt et pro Deo coluerunt, ut in PAVSANIA relatum legimus: ἐν τῃ Γερηνια Μαχαονος τȣ Ἀσκληπιȣ μνημα και ἱερον ἐςὶ ἁγιον et paucis interiectis pergit: ἀγαλμα τε τȣ Μαχαονος χαλκȣν ἐςιν ὀρθον, ἐπικειται δε τῃ κεφαλῃ ςτεφανος. Lacon. ſub fin. p. 278.
Id quod et Empedocli medico contigiſſe ex ipſius uerbis colligimus, quae nobis aſſeruauit DIOG. LAERT.

ἐγω δ' ὑμιν θεος ἀμβροτος, ȣ̓κετι θνητος l. VIII. c. 2. nr. 6.
πωλευμαι μετα πασι τετιμενος, ὥσπερ ἐοικε
ταινιαις τε περιςεπτος ςεφεσιν τε θαλειης.

Coniungimus Chironem, qui in herbis cognoſcendis applicandisque multum ualuerat: hunc quoque diuinis mactauerunt honoribus et ipſi τας ἀπαρχας των φυτων offerre et adolere ſolebant; ut ex PLVTARCHO liquet. Hinc Chironis effigies in Magnetum nummis excuſa manu tenet primitias frugum; quam effigiem exhibet GRONOVIVS. Sophocles de hoc Chirone uerba faciens eum θεον appellat. Symp. quaeſt. l. III. qu. I. tom. I. in part. I. antiq. graec. Plura de Apotheoſi medica Graecorum afferri poſſent, quae in ſcriptoribus mythologicis extant, ut de Hercule Alexicaco, Patroclo, Podalirio cet. niſi inſtituti ratio nos inde auocaret. Ex dictis iam ſatis conſtat, hunc ritum Graecis fuiſſe uſitatiſſimum, homines in arte medendi praeſtantes Diis annumerandi: hinc Melitenſes Paulum, quem antea homicidam putarunt, poſtea mutatione ſubita Deum dixerunt eſſe, quum uidiſſent uiperam e manu eius pendentem ſine ullo incommodo excuti: μεταβαλλομενοι ἐλεγον, θεον αὐτον εἰναι. Et forte Herculem eum putarunt eſſe Alexicacon, qui in iſta inſula cultu diuino afficebatur, ut exiſtimat CALOVIVS. Eadem ratione commoti Lyſtrenſes Paulum, qui uirum quendam infirmum ſanauerat, Deum Mercurium fecerunt, et haud Act. XXVIII. 6. Bibl. N. T. illuſtr. p. 954.

multum

Act. XIV. u. 12. coll. 18. multum aberat, quin ipſi ſacrificia obtuliſſent. Mercurius enim antiquis dicebatur mortuos in uitam reuocare:

Virg. Aen. IV. u. 243. - - - *animas ille euocat orco*
pallentes.

Exinde quoque AELIANI narratio de Menecrate quodam medico lucem accipit, qui ſe ipſum uiuum adhuc Iouem ſeu Deum appellauit, qui tamen honor ante fata non facile ulli contingebat; forte ideo ipſe ſic ſe nominauit, quia hoc honore indignus ab aliis habitus
uar. hiſt. l. XII. c. 51. uidetur. Refert AELIANVS epiſtolam, quam ad Philippum Macedonum regem dedit Menecrates medicus, in qua Iouis titulo ſe ipſum ornauit: rex uero in epiſtola reſponſoria ipſi ſanitatem apprecatus conſilium dedit, ut Anticyram ſe conferret i. e. ad ſaniorem rediret mentem, ibi enim elleborum naſcitur, quod inſaniae remedium dicitur ueteribus, unde haec loquendi formula prouerbialis eſt orta. Ex hoc ſuperſtitioſo apotheoſeos ritu etiam rationes dicendi hyperbolicae uidentur explicandae, quando medicis nonnulli ueteres mortuorum reſuſcitationem arrogant, id quod ad honorem eorum diuinum magis amplificandum faciebat. Eo enim ſignificabant, in Deorum medicorum manibus uitam hominum eſſe poſitam, illos pro lubitu eam breuiorem aut longiorem reddere poſſe, quae elogia nonniſi Deo
l. II. el. I. competunt. Notus eſt locus ille claſſicus PROPERTII:

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis

Poeta hic loquitur de Aeſculapio, qui Epidauri, urbe Peloponneſiaca, nobile fanum habuerat, et inde Epidaurii cognomen ſortitus fuerat, quod reſtituerit uitae demortuum Androgeona.
metam. XV. u. 534. Sic refert OVIDIVS Hippolyto equis lacerato uitam eſſe redditam per medicos:

Nec, niſi Appollineae ualido medicamine prolis
reddita uita foret.

Aen. VII. u. 768. et VIRGILIVS eundem tradit in uitam reuocatum fuiſſe herbis Paeoniis.
l. VIII. c. II. nr. 4. Inter Graecos hanc loquendi rationem DIOG. LAERTIVS ex Empedoclis medici carmine profert: ἄξεις

ἄξεις δ᾽ ἀΐδαο καταφθιμενου μενος ἀνδρος

Quod quum per ſe humanis uiribus nequaquam fieri poſſit, hanc loquendi rationem hyperbolicam (aut melius ſuperſtitioſam nomines) de letaliter aegrotantibus, et de quorum ſalute deſperatum eſt, interpretandam eſſe nemo dubitabit; ſcilicet quos medicamentorum felici effectu morbo liberarunt medici, ipſis uitam reddidiſſe dicebantur. DIOG. LAERTIVS mentem noſtram ſequentibus uerbis optime exprimit: ἀπηλπισμενους ὑπο των ἰατρων θεραπευειν, eis, de quibus inter medicos iam conclamatum eſt, priſtinam ualetudinem reſtituere. Plurimae inde ueterum fabuloſae traditiones enodari poſſunt. Cel. VINCKIVS Euripidis hiſtoriam de Alceſti, quam Hercules mortis imperio liberauit et marito, pro quo mortem ſponte ſua obierat, reduxit, ſic intelligendam putat eſſe: quum grauiter aegrotans et ferme deſperata illa eſſet, medendi arte ab Hercule curatam fuiſſe, reddita priſtina ualetudine.

l. VIII. c. 2. nr. 11.

amoenit. phil. med. p. 232.

§. V.

Medicinae diuiſio in magicam et ueram.

Reputanti mecum ſpecialius artis medendi apud Graecos ſtatum, duplicis eum praecipue fuiſſe generis deprehendi. Aut enim cum medicamentis magica et ſuperſtitioſa coniungebant remedia et ſub religionis praetextu homines decipiebant, aut ſolo experientiae et rationis uſu medicamenta parabant, morbisque blandimenta excogitabant, quod ſequentibus paginis probatum dabimus, ubi partim medicinam ſuperſtitionis uinculis catenatam, partim ueram medendi rationem eiusque fata in Graecia perluſtrabimus.

§. VI.

de medicina magica generatim.

Medicinam magicis artibus coniunctam fuiſſe apud Graecos ex DIOG. LAERTIO colligi poteſt, qui ex Satyro *in uitis* Empedoclem medicum refert magiam una cum medicina exercuiſſe et pharmacis non ſolum morbos depuliſſe, ſed et alia, quae magicae artis peritiam requirunt. Inducit eum loquentem:

l. VIII. c. 2. nr. 4.

Φαρμακα δ᾽ ὀσσα γεγασι κακων και γηραος ἀλκαρ
πευσῃ᾽ ἐπει μουνῳ σοι ἐγω κρανεω ταδε παντα:
παυσεις δ᾽ ἀκαματων ἀνεμων μενος.
και παλιν ἠν κ᾽ ἐθελῃσθα παλιντιτα πνευματ᾽ ἐπαξεις.

Vnde eum Heraclitus ſequenti pagina uocat *ἰατρον και μαντιν*, et ipſe fatetur Empedocles, ſe honore affici ab omnibus, qui artem uaticinandi cum medicina coniunctam callebant:

οἱ μεν μαντοσυνεων κεχρημενοι, οἱ δε τι νουσων
παντοιων ἐπυθοντο κλυειν εὐηκεα βαξιν.

orig. l. VIII. c. XI. p. 102. Forſan huc reſpiciens ISIDORVS HISPALENSIS Apollinem uocat diuinatorem et medicum; et EZ. SPANHEMIVS in notis ad Plutum obſeruat, Apollinem ab Aeſchylo *ἰατρομαντιν* dictum fuiſſe, ideo ſcilicet, quod huius artis primus haberetur repertor. Intulit primus in Graeciam hanc magiam medicam Oſthenes quidam, l. XXX. c. I. ut PLINIVS memoriae prodidit, qui ſimul quosdam genere Graecos recenſet, qui huius artis addiſcendae cauſa uarias in ſe ſuſceperunt peregrinationes. Neque eſt mirum, hanc fraudulentam artem multos ſibi conciliaſſe cultores amatoresque, quae enim in ſenſus externos cadunt, magis commouent plebem, quam quae ratione nituntur; praeſertim quum uis imaginationis et praeconceptae falſae opiniones ipſa remedia magica in effectu adiuuerint, id quod praeclare expreſſit CLERICVS: *la force de l'imagination ayant ſupléé à celle, qui manquoit aux remedes, et l'im-* dans l'hiſtoire de la medicin tom. I. p. 39. *preſſion que ces remedes avoient faite ſur l'eſprit, ayant pu ſe communiquer au corps et changer l'état de ſes parties. Si l'on ajoûte à cela deux autres conſiderations, l'une, que ces remedes n'etoient ni rebutans, ni douloureux, comme les remedes ordinaires; la ſeconde, que la religion les autoriſoit, on conviendra, qu'il n'en a pas fallu dauantage pour determiner les peuples à s'en ſervir.* Nulla inter caeteras ſcientias hac commixtione maculata et corrupta legitur, praeter medicinam, aſtronomiam et religionem; hae tres enim plerumque magicis fraudibus praetextum ſpeciemque dare cogebantur.

§. VII.

§. VII.

Si ad medicinae magicae ſpecies deſcendimus, ſeſe nobis offe- *ſpeciatim α) de*
runt amuleta, Graecis *περιαπτα, περιαμματα και ἀποτροπαια*, *amuletis ſiue*
dicta, quae fuerant ſchedulae certis, iisque ſuperſtitioſis figuris et *περιαπτοις.*
characteribus conſignatae, quibus poteſtatem tribuebant depellen-
di morbos, corpusque ab omni malorum genere conſeruandi.
BVDAEVS inter *περιαπτα* et *ἀποτροπαια* diſtinguit, atque illa in Lex. ſub
cauſa naturali medendi fuiſſe praedita aſſerit, quum ipſe Galenus h. u.
ea haud improbare uideatur: haec uero ſuperſtitioſis annumerat.
Sed uidentur his denominationibus promiſcue uſi fuiſſe Graeci.
Scholiaſtes Ariſtophanis, qui nobis deſcriptionem amuletorum
magicorum aſſeruauit, adhibet uocem: *περιαπτα*, et ſequenti ad Plut.
modo ueterum de eorum effectu perſuaſionem recenſet: *ὁθεν
και τα γοητευτικα περιαπτα, ὡν ἀπαιωρουμενων του σωματος
δοκουσιν οἱ φαυλοι εὐ ἐχειν του ζην δι᾽ αὐτα.* Solebant ea omni-
bus fere corporis partibus geſtare: ut plurimum autem collo
ſuſpenſa erant. In manu ſi ea geſtabant, appellabantur *δακτυ-
λια φαρμακευτα* ſiue *φυσικα*; eorum meminit Ariſtophanes
in Pluto, ubi Scholiaſtes addit: *ὁ Ἐυδαμος φαρμακοπωλης* act. IV. u. 884.
*φυσικους δακτυλιους ποιων προς δαιμονα και ὀφεις και τα τοι-
αυτα.* KVSTERVS in notis id explicat de annulo magice conſe-
crato, qui annuli Athenis olim drachma emebantur. Longum
temporis ſpatium ea amuleta uſurpata et magna cum ſuperſtitio-
ne praeparata applicataque fuere: Antonii autem Caracallae
tempore legimus in AEL. SPART. eos omnes fuiſſe damnatos, qui c. V.
eiusmodi amuleta collo ſuſpenſa gerebant. Hae artes et chara-
cteres magici uocabantur: *φαρμακεια* et magi, qui ea exerce-
bant *φαρμακευται*, obſeruante DEYLINGIO: et inde patet, quos obſ. ſacr. p. III.
Paulus in epiſt. ad Galatas grauem poenam daturos eſſe praedi- p. 281.
cit, quando eorum opera *φαρμακειας* titulo inſignit. Ex dictis cap. V. u. 20.
quoque illuſtrari poſſunt *περιεργα* illa, quorum meminit Lucas
in actis Apoſt. Deſignantur quidem hac uoce generatim omnes c. XIX. u. 19.
inanes et curioſae operationes; ſed praecipue hoc loco ſignificari

artes

artes magicas, quibus Epheſii tunc temporis prae omnibus ſtudium operamque nauarunt, iam obſeruarunt commentatores, et ſaepius ideo in Graecorum ſcriptis occurrunt Ἐφεσια ἀλεξιφαρμακα και γραμματα, quorum ſuperſtitioſa applicatione morborum uires frangi eorumque inſultus praecaueri poſſe, ſibi falſo perſuaſerunt, de quibus literis Siberus et Schurzfleiſchius in pec. diſſ. egerunt. Literarum Epheſ. effectus recenſet EVSTATHIVS: ἐν Ολυμπιαδε φασι Μιλησιου τινος και Ἐφεσιου παλαιοντων τον Μιλησιον μη δυνασθαι παλαιειν, δια το τον ἑτερον περι τῳ ἀσραγλῳ ἐχειν τα ἐφεσια γραμματα, ὧν γνοσθεντων και λυθεντων τριακοντακις ἐφεξης πεσειν τον Ἐφησιον. Origo harum literarum non in urbe Epheſo quaerenda, ſed altius eſt repetenda, monente DEYLINGIO ad h. l. Actorum; quippe iam ſacerdotes Aegyptiorum medici illis utebantur, de quibus Graeci acceperunt, ut iam ſupra (§. III.) obſeruauimus.

in odyſſ. γ.

§. VIII.

β) de incantationibus ſeu ἐπαοιδαις.

Arcto uinculo connexae erant cum amuletis incantationes magicae, quas Graeci ἐπαοιδας ſeu ἐπῳδας nominant. Carmina erant barbaris uocibus, quorum ſenſum neque incantatores, neque aegrotantes capiebant, ſuperſtitioſo murmure decantata, quibus morbos aliaque noxia auerti poſſe hominibus perſuadebunt eorum auctores. Perceperunt forte hi praeſtigiatores ex quorundam libris, muſicam per dulcem, qua gaudet, harmoniam tantas in humano corpore excitare poſſe mutationes, ut nonnunquam ipſi dolores conſopiantur, et ſaltem ad tempus leniantur; quem muſices effectum confirmat GELLIVS ex Democriti libro περι λοιμων ἡ λοιμικων κακων. Et ideo ISIDORVS HISPALENSIS: *muſica, inquit, incognito medico non erit; nam multa ſunt, quae in Graecis hominibus per hanc diſciplinam facta leguntur.* Quo cognito ſtatim incantationibus ſuis maiorem conciliarunt auctoritatem: quaſi huiusmodi auctores uires muſicae in medendis morbis multo ſpecialius accuratiusque eſſent perſcrutati; unde plurimi eorum remediis utebantur. Vlyſſis uul-

N. A. l. IV. c. 13.

Orig. l. IV. c. 13.

nus

nus, quod ipſi aper inflixerat, tali incantatione ſanatum fuiſſe conſtat ex HOMERO:

> *ὠτειλὴν δ' Ὀδυσηος ἀμυμονος ἀντιθεοιο* Odyſſ.I. u. 456.
> *δησαν ἐπιςαμενως. ἐπαοιδῃ δ' αἱμα κελαινον*
> *ἐσχεθον.*

PINDARVS etiam harum incantationum mentionem fecit:

> *- - τȣς μεν μαλακαις* Pyth. III. Str.
> *ἐπαοιδαις ἀμφεπων.* γ. u. 10.

Et SILIVS ITALICVS Synalum medicum hac arte caeteros, qui eam exercebant, ſuperaſſe refert: l. V. u. 352.

> *- - - ungere uulnus*
> *herbarum hic ſuccis, ferrumque corpore cantu*
> *exigere, et ſomnum toto miſiſſe chelydro*
> *anteibat cunctos.*

OVIDIVS de Medea, Colchorum uenefica inſigni, teſtatur, quod ad ultimum periculum, quando herbarum uirtutes nihil amplius efficere poſſent, incantationem ſibi reſeruarit: Metam. VIII. u. 137.

> *Neue parum ualeant a ſe data gramina, carmen*
> *auxiliare canit, ſecretasque aduocat artes.*

Liceat etiam hic mentionem iniicere Catonis, qui, quanquam in medicos e Graecia Romam aduentantes magis odio, quam amore ferebatur, ſuperſtitioſis tamen remediis ſuum dedit conſenſum. De incantationibus rem teſtatur PLINIVS: *Cato*, inquit, *prodidit, luxatis membris carmen auxiliare* ſiue ut alii melius legunt: *auxiliari.* Deprehendimus in eius *de re ruſtica* ſcriptis exemplum quoddam incantationis, quam ipſe praeſcripſerat, et quoniam in Graecor. ſcriptis non tam diſtincte incantationum uerba ſunt deſcripta, haec apponamus: *luxum ſi quod eſt*, inquit, *hac cantione ſanum fiet. Harundinem prende tibi uiridem P. IV. aut V. longam mediam diffinde et duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio* S. F. (ſanitas fracto ut in notis) *motas uaeta daries dardaries aſtataries diſſunapiter, usque dum coeant. Ferrum inſuper iactato. Vbi coierint et altera* H. N. XXVIII. c. 2. c. 160. toto.

ra alteram tetigerit, id manu prende et dextra ſiniſtra praecide, ad luxum aux fracturam alliga, ſanum fiet, et tamen quotidie cantato in alio S. F. uel luxato. Vel hoc modo: huat, hanat, iſta piſta ſiſta domiabo damnauſtra et luxato. Hinc legimus in SVETONIO Auguſtum claudicantem ope arundinum ſanatum eſſe: *coxendice*, inquit, *et femore et crure ſiniſtro non perinde ualebat, ut ſaepe etiam inde claudicaret: ſed remedio harenarum atque arundinum confirmabatur.*

Aug. c. 80.

§. IX.

γ.) *de incubat. ſ.* ἐγκοιμησει

Proxime his accedunt ἐγκοιμησεις ſiue incubationes, in quibus, licet quaedam naturali ratione niterentur, ſuperſtitioſi tamen uarii ac fraudulenti ritus obſeruabantur; unde iam CICERO eas reprobat reiicitque. Incubare dicuntur aegroti, qui in fanis Deorum medicorum lecto aut pellibus ſubſtratis decumbentes flagrante deſiderio expectarunt, qualem medicinam Deus ipſis per inſomnium praeſcriberet. Prae caeteris Deorum medicorum templis ideo praecipue inclaruit fanum Aeſculapii, quem fere ubique terrarum coluerunt ueteres. Inter Graecos Athenienſes Aeſculapio extruxerunt duo templa, ut iam ſupra oſtendimus. (§. IV.) PLAVTVS huc ſpectat:

de diu. l. II. c. 59.

Curc. act. I. ſc. I. u. 61.

- - - *hic leno aegrotus incubat*
in Aeſculapii fano.

Plutus coecus in hoc templo per incubationem uiſum ſuum recepit, ut ex ARISTOPHANIS comoedia, quam Plutum cognominat, patet:

act. III. ſc. I.

- - - ἀντι γαϱ τυφλȣ
ἐξωμματωται και λελαμπϱυνται κοϱος
Ἀσκληπιȣ παιωνος ἐυμενȣς τυχων.

XII. c. 10.

De Alexandri M. ſomno rem narrat IVSTINVS: *per quietem*, inquit, *regi monſtrata in remedia ueneni herba eſt*; per quam deinde maximam exercitus partem, qui gemina mortis uulnera acceperat ſagittis ueneno armatis, ſanauit. Videtur haec quies ſpecies incubationis fuiſſe extraordinaria, quae extra templum ſola Dei apparitio-

apparitione et remedii indicatione, forte in tentorio, ubi ueteres imperatores Deorum imagines ſuſpenſas ſecum duxerunt, erat peracta. Quod pellibus ſubſtratis decubuerint Dei reſponſa expectantes, omnes, qui de incubatione ſcripſerunt, ex VIRGILIO confirmant: *pellibus incubuit ſtratis ſomnosque petiuit.* Aen. VII. 88.
Quod quidem generatim, ut ex contextu patet, de omnibus paganorum fanis, non ſolum de Deorum medicorum templis, intelligi debet, in quibus praeter haſce pelles etiam lectum obtinuiſſe ex ARISTOPHANE et PAVSANIA docebimus. Ille Plutum coecum, qui ad incubandum in fanum Aeſculapii deductus erat, dixit *κατακλινειν*, quod utique de lecto explicamus: *ἐγκατακλινουντ᾽ ἀγωμεν εἰς Ἀσκληπιου·* et alio loco: *Κατεκλινομεν τον Πλουτον*, ubi etiam addit, quemlibet eorum qui Plutum fuerunt comitati, decubuiſſe grabatulo: *ἡμων δε ἑκαστος στιβαδα, παρεκαττυεται.* Ex PAVSANIA clarius id adhuc deducitur, qui in delubro Aeſculapii lectum collocatum fuiſſe ad dextram ſimulacri, memoriae prodidit: *ἐν μεσῳ δε ὁ τε ναος, και ἀγαλμα λιθου πεποιημενον, γενεια ἐχον, μεγεθος και ὑπερ δυο ποδας. Κλινη δε ἐν δεξιᾳ κειται του ἀγαλματος.* Supra templum quoque aedes fuiſſe, in quibus incubatores, qui Deum conſultaturi aduenerunt, ſomnum capiebant, colligimus ex eodem PAVSANIA: *του ναου δε ἐστι περαν, ἐνθα οἱ ἱκεται του θεου καθευδουσιν.* Morbo laborantes aut ipſi incubuerunt Deique medelam dormientes expectarunt; aut ſi hoc diſplicuerit, ſacerdotes id in ſe ſuſceperunt ipſisque curationem, quam incubando perceperunt, narrando praeſcripſerunt. Huius rei teſtem profero STRABONEM: *λεγουσι γαρ δη και τους νοσωδεις και προσεχοντας ταις των θεων τουτων θεραπειαις, φοιταν ἐκεισε, και διαστασθαι ἐντῃ κωμῃ πλησιον του ἀντρου, παρα τοις ἐμπειροις των ἱερων· οἱ ἐγκοιμωνται τε ὑπερ αὐτων και διατατουσιν ἐκ των ὀνειρων τας θεραπειας·* et paulo poſt: *ἐστι δε ὁτε και τοις ἰδιοις ἐνυπνιοις οἱ νοσηλευομενοι προσεχουσι.* Incubantibus tali modo ipſe Deus qui in fano colebatur, reſpondit; SVIDA hoc confirmante: *ὁ δε*

Plut. act. II. ſc. 6. et act. III. ſc. 2. u. 663.

l. X. p. 879.

l. II. p. 173.

Geogr. l. XIV. p. 960.

in lexico.

Ἀσκληπιος

Ἀσκληπιος ἀπο τȣ ἀγαλματος ἐμμελεςατον δη τινα Φθογγον ἑτεϱαν ὑπεγϱαψατο θεϱαπειαν τῳ παθει. Saepiſſime antem Dei reſponſa ipſi ſacerdotes incubantibus anunciantes referebant morbi remedium. Varia hic ſuperſtitioſa et fraudulenta in Dei reſponſione accipienda incubatoribus erant obſeruanda; draconibus Deo ſacris cibum primo aditu adpoſuerunt, ſed illis appropinquare nefas putabant, et ſibi religioni duxerunt, prout teſtatur PAVSANIAS: παϱα δε τȣς δϱακοντας εισιεναι τȣς ιεϱȣς ȣκ ἐθελȣσιν ὑπο δειματος, καταθεντες δε σφισιν πϱο της ἐσοδȣ τϱοφην. Poſt haec magnum ſacrificiorum apparatum uariaque dona aris templi impoſuerunt, teſte ARISTOPHANE:

l. c.

Plut. act. III. ſc. 2. u. 660.

- - βωμῳ ποπανα και πϱοθυματα
καθωσιωθη, πελανος Ἡφαιςȣ φλογι

Praecipue uero notatu dignae ſunt literae obſignatae, quibus arae aut puluinaribus Dei impoſitis aegrotantes morbi ſtatum Deo declarare cogebantur, quae ideo ſigillo fuerunt munitae, ut eo minus ſacerdotum fraudes ſentirent incubatores. ANT. van DALE ex LVCIANO id confirmare uidetur, qui de oraculo ita loqnitur: λαμβανων γαϱ τα βιβλια ἐπεκοιματο, ὡς ἐφασκεν, ἀυτοις, και ὡς ὀναϱ παϱα τȣ θεȣ ἀκȣων, ἀπεκϱινετο. Fuerat hic mos libellis rogata ſua inſcribendi apud pleraque paganorum oracula uſitatiſſimus; SCHOLIASTES Ariſtophanis de Pythia id quoque teſtatur: οἱ μαντευομενοι ἐν πυξιδιῳ ἐγϱαφον τας πευσεις. Quibus praemiſſis ſacerdotes medici, qui Deo miniſtrabant, lampas, quae ubique in templo lucentes conſpiciebantur extinxerunt et incubatores ſeſe ſomno dederunt. Pergit ARISTOPHANES:

de orac. p. 241.

ad Plut.

Plut. act. III. ſc. 2.

- - ὡς τȣς λυχνȣς ἀποσβεσας
ἡμιν παϱηγγειλεν καθευδειν τȣ θεȣ
ὁ πϱοπολος, ειπων, ἐι τις αισθητα ψοφȣ
σιγαν· ἁπαντες κοσμιως κατεκειμεθα.

Subducimus ex his uerbis, poſt lampadum extinctionem ſacerdotes uarias exercuiſſe fraudes, hinc factum eſt, ut incubatoribus ſilentium imponerent, ſi quis forte eorum ψοφον audi-

ret,

ret, ne forte admonendo proxime ſecum decumbentes redderet uigilantes obſeruantesque rerum, quas ipſi tectas occultasque eſſe uoluerunt. Nec uidemus cur lampades extinxerint, niſi tenebrae eorum fraudibus ſtruendis magis fuiſſent amicae: multum enim faciebant ad Deorum medicorum ἐπιφανειαν, quam nemo ſibi perſuadebit ex naturalibns ſomni cauſis contingere potuiſſe, niſi ipſi ſacerdotes talia φαντασματα oculis incubantium obieciſſent, id quod in tenebris peragi poterat eo facilius. Apparebant Dii ex falſa incubantium perſuaſione diuerſis formis; modo humana, modo forma ab animalibus deſumta, praecipue uero ſpecie Draconum et ſerpentum, quae animalia Aeſculapio ſacra erant. Non enim omnibus Dii apparent manifeſti, aut propria forma, monente HOMERO: Odyſſ. π. u. 161.

ὀ γαρ πω παντεσσι θεοι φαινονται ἐναργεις

Remedia, quae Dii apparentes praeſcripſerunt, ſacerdotes ſtatim praeparabant et cum aegrotis incubantibus communicabant, ut haec omnia ARISTOPHANES accuratius recenſet, cuius uerba hic apponere nimis longum foret. Reliqui ſacerdotum interea auferebant, quae incubatores caeca perſuaſione Deo obtulerunt arisque impoſuerunt, omniaque ſacculo indita in cellas ſuas deportarunt. Praeclare huc refert ARISTOPHANES: Plut. act. III. ſc. 2. u. 707. ſqq.

\- - - ὁρω των ἱερεα
τους φθοις ἀφαρπαζοντα και τας ἰσχαδας
ἀπο της τραπεζης της ἱερας. μετα τουτο δε
περιηλθε τους βωμους ἁπαντας ἐν κυκλῳ
εἰ που ποπανον εἰη τι καταλελειμμενον.
ἐπειτα ταυθ᾽ ἡγιζεν εἰς σακταν τινα

Quo ſimul eas auferebant literas, quas antea aris impoſuerunt incubatores obſignatas, et bene quum tenerent artem ſigilla recludendi literasque aperiendi, ſtatum morbi, quo aegrotantes, qui in fano decumbebant, laborarunt, diſtincte cognouerunt. Quo factum eſt, ut reſponſionem, quam Deum dare perſuaſerunt incubantibus, ita concinnarent, ut remedia morbo conuenientia praeſcriberet. Literas autem ſcite rurſus complicatas obſignatasque

aris impoſuerunt, ut eo magis ſibi perſuaſum habeant incubantes, Deum literis haud recluſis morbi genus perſpectum habuiſſe. Quod ſi uero literae accurate fuerant conſignatae et citra periculum reſignari haud poterant: tunc generalem dubiamque ediderunt reſponſionem. LVCIANVS in loco ſupra adducto pergit: *και ὡς ὀναρ παρα τȣ θεȣ ἀκȣων ἀπεκρινετο· ȣ μεν τοι σαφεις τȣς πολλȣς, ἀλλα και ἀμφιβολȣς και τεταραγμενȣς. Και μαλιϛα, ἐι ποτε θεασαιτο περιεργοτερον τον βιβλιον κατεσφαγισμενον.* Praecipue nocturno tempore hae incubationes fiebant, ut eo ſanctiores haberentur eoque minus ſacerdotum fraudes incubatoribus innoteſcerent; ex ARISTOPHANIS Pluto id conſtat, cuius comitatores reſiduam noctis partem transegiſſe dicuntur, donec dies illuxerit. Quibus omnibus peractis apparitiones rurſus ceſſabant, et incubatores templis egrediebantur. Moneri quaedam hic poſſent circa locum S. S. de *ἐπιφανεια* ſeruatoris noſtri, niſi iam omnia, quae notatu digna occurrunt, accurato, quo ſemper gaudet, ordine diſpoſuiſſet cel. C. G. SCHWARZIVS, Academiae noſtrae decus ſplendidiſſimum. Ex fanis redeuntes coronas capite geſtarunt, quae eos inuiolabiles reddiderunt; id quod colligimus ex ARISTOPHANE, ubi Carion ſeruus, qui cum hero ex Apollinis templo redierat, (qui etiam *uates* et *medicus* fuerat, ut ſupra iam obſeruatum) cum ipſo audacter colloquitur, cauſa nixus, quoniam corona ornatus uerberibus plecti haud poſſit:

Act. III. ſc. 2.

in diſſ. de Aeſculap. et Hygea §. 18.

ȣ γαρ με τυπτησεις, ϛεφανον ἐχοντα γε.

Plut. act. I. ſc. I. u. 21.

cui deinde herus reſpondit; imo uerberabo te corona detracta, et eo ipſo approbauit ſibi non licere coronam geſtantem uerberare, eiusmodi enim homines uiolare nefas habebatur. SCHOLIASTES Euripidis hunc ritum quoque confirmat ſuo teſtimonio generatim: *ἐθος γαρ εἰχον οἱ ἀρχαιοι τȣτο, ὁτε ἠρχοντο ἀπο μαντειας, ἐϛεφανωμενοι ἠρχοντο.* Quodſi medicamentis, quae ipſis oraculum praeſcripſerat, priſtinam ualetudinem recuperarint incubatores, tabellas uotiuas in teſſeram grati animi

ad Hippolyt. u. 792.

ſuſpen-

ſuſpendebant in fano Dei, cuius auxilium implorauerant, aut ipſi, aut eorum cognati: quibus tabulis alii Dei effigiem, alii morbi ſtatum curandique rationem, alii ipſas partes, quae morbo affectae fuerant, depinxerunt aut deſcripſerunt. Hinc STRABO l. VIII. p. 260. mentionem fecit τῶν ἀνακειμενων πινακων, ἐν ὁις ἀναγεγραμμεναι τυγχανουσι ἁι θεραπειαι. Ideo PAVSANIAS admiratur Aeſculapii fanum propter plurimas ipſius ſtatuas uariaſque tabulas pictas: Att. p. 49. τοῦ Ἀσκληπιοῦ το ἱερον ἐς τε τα ἀγαλματα ἐστιν, ὁποσα τοῦ θεοῦ πεποιηται και των παιδων, και ἐς τας γραφας, θεας ἀξιον. Licet autem haec teſtimonia id ſolum euincant de picturis: ex dicendis tamen patebit morbum eiusque remedium hiſce tabulis etiam deſcriptum fuiſſe. Confugiebant enim ad haec fana homines morbo laborantes, ut uiderent, an non morbi ſimilitudinem reperirent eodemque remedio uti poſſent, quod uero ex ſolis picturis cognoſci non facile poterat; et ipſe HIPPOCRATES poſtea has tabulas exſcripſit, et inſtitutionem medicinae clinicae exinde confecit, ut infra obſeruabitur. Saepius autem uoti haud compotes facti ex fanis iſtis migrabant ſine auxilio: tantum uero aberat, ut exinde Dei, quem ſibi finxerant, infirmitatem cognoſcerent, ut potius eius arbitrio tribuerent, quod ipſius auxilio deſtituerentur. Ex PLAVTO id manifeſtum eſt:

Migrare certu' eſt iam nunc e fano foras, Curc. act. II. sc. I. u. 1 sq.
Quando Aeſculapii ita ſentio ſententiam,
Vt qui me nihili faciat, nec ſaluum uelit.

Haec de incubationibus Graecorum ſuperſtitioſis, et de oraculorum medicorum conſultationibus nobis dicenda fuerunt. Reliquum adhuc erit, ut de origine et κακοζηλιᾳ huius ritus pauca adiungamus. Probabile uidetur Graecos fama percepiſſe quaedam de religione Iſraëlitarum, eos Deum per ſacerdotes ſummos conſuluiſſe, Deum ipſis per Vrim et Thummim reſponſionem dediſſe, et ſanctis ſuis ſeruis multa per inſomnia reuelaſſe, tabernaculum et poſtea templum lucentibus orna-

tum fuiſſe lampadibus; et quae ſunt reliqua; ex quarum caerimoniarum commixtura additis aliis, iisque ſuperſtitioſis ritibus incubatio nobis uidetur ortum traxiſſe.

§. X.

δ) de ſpeculo magico.

Superſtitionis nota quoque notandus uidetur ille ritus, quando ex ſpeculi cuiusdam hunc in finem uariis caerimoniis praeparati, imaginibus, quid ſperandum aut metuendum haberent aegrotantes comperti ſunt. Varia hic intermixta fuiſſe, quae ſuperſtitionem aut magiam redolent, nemo diffitebitur: nullo enim modo naturali ex ſpeculi imagine euentum morbi futurum habere poſſumus exploratum. Adponam locum PAVSANIAE, qui hoc ſpeculum copioſius deſcribit: Κατοπτρον καλωδιω των λεπτων δησαντες, καθιασι σταθμωμενοι μη προσω καθικεσθαι της πηγης. ἀλλ' ὅσον ἐπιψαυσαι τȣ ὑδατος τῳ κυκλῳ τȣ κατοπτρȣ. το δε ἐντευθεν εὐξαμενοι τῃ θεῳ και θυμιασαντες το κατοποτρον βλεπȣσι· το τε σφισι τον νοσȣντα ἠτοι ζωντα ἢ και τεθνεωτα ἐπιδεικνυσι. Videtur Pauſanias omnem uim has imagines in ſpeculo producendi tribuere fonti, qui a Cereris aede pariete ſeparabatur; adeſſe ibi inquit in anteced. μαντειον ἀψευδες oraculum mentiri neſcium, atque ex eo cognoſci morborum euentus. Qua autem ratione imagines in ſpeculo productae fuerint, inuenire non licet.

l. VII. c. 21. p. 578.

§. XI.

Tranſitus ad med. ueram.

Miſſam nunc facimus Graecorum medicinam ſuperſtitioſam magicamque, et ad eam transimus, quae in formam artis redacta rationibusque ſuperſtructa eſt, in qua multa illis accepta debemus referre: quum partim ea, quae a barbaris acceperant, magis excoluerint; partim inuentis noua addiderint inuenta, quae ipſis per experientiam et rationem innotuerant, id quod ex eorum ſcriptis medicis adhuc reſiduis euinci facillime poteſt.

§. XII.

de ſcholis medicor.

Ordo nos iubet de eorum ſcholis clarisque exinde progreſſis medicinae cultoribus uerba facere, quum omnia a ſcholis bene con-

ſtitutis

ſtitutis dependeant. Ortum ſcholarum quidam deducunt ex tabulis anteа memoratis in Deorum fanis ſuſpenſis; quas deſcriptas auditoribus explicauerunt doctores. Hippocratem id feciſſe ex teſtimonio PLINII patet: *Hippocrates*, inquit, *genitus in inſula Coa - - quum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templum eius Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque templo cremato inſtituiſſe medicinam hanc, quae Clinice uocatur.* Studio praetermittimus clariſſimas medicorum ſcholas, RHODIAM, SMYRNEAM, et COAM, ex qua poſtrema magnus prodiit Hippocrates, qui diſcipulos in arte medica informandos iureiurando obſtrinxerat, nequid aliis diuulgarent, ſed ſilentio cuſtodirent; de his enim ſcholis omnia fere collegit CONRINGIVS tum in antiqu. academ. tum in introduct. in arte med. De ſchola ALEXANDRINA, quam multi Graecorum adierunt, monemus, eam caeteras omnes fama ſuperaſſe, et medicos, qui ibi informati fuerunt, prae omnibus commendaſſe teſte AMMIANO MARCELLINO: *pro omni*, inquit, *experimento ſufficiet medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixit eſſe eruditum.* Omnia ibi praeclare fuerunt inſtituta, reſerata fuit ſtudioſis bibliotheca omnium traditione celebrata, quam quadringenta librorum millia continuiſſe SENECA narrat. Verum enim uero, quid moramur in ſcholis commemorandis, quae extra Graeciam conſtitutae fuerunt, quum in media Graecorum regione deprehendamus ſcholam, uel ut rectius dicam, Academiam, quae omnes fere literarum bonarum cultores fama per totum orbem celebrata ad ſe pellexit; ATHENAS puto, ſplendidiſſimum illud terrarum domicilium, quas ipſe CICERO *omnium artium inuentrices* nuncupauit. Piſiſtratus tyrannus publicam ibi fundauit bibliothecam, quam deinde ipſi Athenienſes magis auxerunt, referente GELLIO. Ad hanc nobiliſſimam muſarum ſedem praeter Graecos alios quoque peregrinatos eſſe conſtat. Romanorum ille praepotens orator CICERO hic ſtudiis operam nauauit, ut paſſim in ſcriptis ſuis publice profitetur;

l. XXIX. c. 1.

l. XXII. c. 16.

de tr. an. c. 9.

de orat. l. 1. c. 4.

A. N. l. VI. c. 17.

tetur; etiam OVIDIVS gloriatur in libris triſtium, ſe quondam petiiſſe Athenas. Caeterum de ſcholis medicorum obſeruandum, quod inter plerasque disſenſio quaedam et diſcordia in tradendis ſanandi regulis obtinuerit, quae in facienda medicina ſaepiſſime illi noxia fuit aegroto, qui duos pluresue ſimul conſuluerat medicos, ut de eo dici illud potuerat, quod PLINIVS monumento alicui inſcriptum inuenerat: *turba ſe medicorum periiſſe*, quem ſenarium uerſiculum HARDVINVS in notis putat eſſe Menandri Comici:

l. XXIX. c. 1.

πολλων ιατρων εισοδος μ' απωλεσεν.

§. XIII.

de Graecor. medicis.

Multos inter Graecos habemus in arte medendi claros, quorum fama ad noſtra usque tempora ſuperſtes manſit, ita, ut ſi ſingulorum peritiam recenſere uellemus, charta nobis deficeret. Nominaſſe igitur eos nobis idem erit, ac ſingulorum fata narraſſe. Quatuor medicorum Graecorum claſſes conſtitui poſſunt, quarum 1) poëtas medicos. 2) heroas, qui belli et medicinae notitiam coniunctam habuerunt. 3) philoſophos medicos et 4) illos, qui medicinae ſoli operam nauarunt. Quod ad poëtas medicos attinet, ex primis temporibus huc pertinent HOMERVS, cuius Scientiam medicam ſing. diſſ. illuſtrauit Brendelius. ORPHEVS, quem Euridicen ex inferis reuocaſſe, i. e. cum morte iam conflictatam ad priſtinam ualetudinem reduxiſſe, mythologiae Scriptores paſſim narrant. HESIODVS, qui a Plinio ſaepiſſime ut medicus commemoratur; et tandem huc referri poteſt MVSAEVS. De ſingulis rem probatam dabimus ex Plinii teſtimonio: ORPHEVS *de herbis curioſius aliqua prodidit, poſt eum* MVSAEVS *et* HESIODVS - - HOMERVS *et alias nominatim herbas celebrat.* Secundi ordinis habemus ueteres heroas, de quorum in arte ſalutari et in bello gerendo experientia multa leguntur apud Homerum. Arcto uinculo tunc temporis cohaerebat chirurgia cum medicina, ut infra docebimus: interim unum adponam HOMERI locum, ubi *medicum* ad uulnus ligandum ſanandumque requirit:

l. XXV. c. 1.

Iliad. Δ. u. 191.

ἑλκος δ' ἰητης ἐπιμασσεται, ἠδ' ἐπιθησει
Φαρμαχ' ἁ κεν παυσῃσι μελαινων ὀδυναων.

Inter

Inter hos heroas primas tenet MACHAON, de cuius honore iam ſupra quaedam ex Pauſania adduximus; is tam clarus apud ueteres fuit, ut ipſa ars medendi ab eo Machaonia fuerit cognominata. De modo, quo telum ex Menelai uulnere perite extraxit, narrat HOMERVS, qui eum diuerſis in locis ſummis laudibus ornat: Iliad. Δ. u. 217.

ἀυταρ ἐπει ἴδεν ἑλκος ὁθ᾽ ἐμπεσε πικρος ὀϊςος
αἱμ᾽ ἐκμυζησας, ἐπ᾽ ἀρ ἠπια Φαρμακα ειδως
πασσε.

Eiusdem ordinis ſunt PODALYRIVS, PATROCLVS caeterique, quorum facta Homerus decantauit. Tertiam claſſem conſtituimus eorum, qui ex philoſophis ſanandi artem didicerunt, de ARISTOTELE, de PLATONE et de PYTHAGORAEIS generatim id teſtatur AELIANVS: λεγουσι τους Πυθαγορεους πανυ σφοδρα περι την ἰατρικην σπουδασαι τεχνην. Και Πλατων δε Φροντιδα εις ἀυτον ἐσχε πλειςην, και Ἀριςοτελης, ὁ Νικομαχου και ἀλλοι πολλοι. Videntur autem huius claſſis medici magis theoriam, quam praxin exercuiſſe, quippe quae phyſicae ulterius explicandae apprime inſeruit: nihil enim de eorum curationibus medicis legimus. Excipimus tamen Ariſtotelem, quem medicinam feciſſe et cum aegrotis communicaſſe, copioſe teſtatur AELIANVS. Ad quartam claſſem eos referimus, qui ſolam medicinam rationalem exercuerunt. Inter multos hic eminet magnus HIPPOCRATES, quem laudibus plane diuinis condecorarunt ueteres, quod ſcil. fallere et falli neſciuerit; hic *primus medendi praecepta clariſſime condidit*, referente PLINIO, i. e. a caeteris artibus ita ſeparauit, ut ſola conſtitueret ſcientiam: cui adiungimus DIOCLEM, quem Athenienſes alterum Hippocratem nominarunt, ut ex eodem loco patet. Porro ſubiungimus CRITOBVLVM, Alexandri M. Archiatrum, de cuius curatione in uulnerato regis corpore felici rem multis narrat CVRTIVS. Coronidis loco addimus medicinae cultorem, quem ad nullam quatuor claſſium reuocare poſſumus, purpura et corona inſignem ALEXANDRVM, cognomine et rebus geſtis MAGNVM, quem

uar. hiſt. l. IX. c. 22.

l. V. c. 9.

Macrob. in ſomn. Scip. l. I. c. VI.

XXVI. c. 2.

l. IX. c. 5.

quem medicinam nonſolum didiciſſe, ſed et feciſſe atque exercuiſſe, teſtatur PLVTARCHVS in eius uita. Quod reliquum eſt, omnia, quae de medicorum Graecorum uita Scriptisque moneri poſſunt, p. 231. - 346. exhibet Cel. VINCKIVS in *amoenitat. philol. med.*

§. XIV.

de mulieribus medicis Graecor. Viris, qui medendi artem calluerunt, ſubiungimus mulieres Graecorum medicas, quas ἰατϱίνας uocant: quae denominatio primum occurrit in Hippocratis ſcriptis, obſeruante CLERICO. Cognominati etiam fuerunt ὀμφαλητομοι, ὅτε τον ὀμφαλον τȣ βϱεφȣς αἱ μαϱαι ἀποτεμνȣσι, quam denominandi in lxeico. rationem affert SVIDAS ſub hac uoce. Hae medebantur morbis, qui in ſexum femininum cadunt, quod negotium antea ipſi uiri medici exercebant, deficientibus mulieribus medicis, ut ex l. XI. ep. 61. MARTIALE patet. Interdum uiri et mulieres ſimul conſulebantur l. XI. ep. 72. n. 8. ab aegrotantibus, hinc MARTIALIS:

Accedunt medici medicaeque recedunt.

Omnem huius rei hiſtoriam accurate diſpoſitam enarratamque habes apud HYGINVM, ſpeciatim quatenus ad Graecos ſpectat. Primis temporibus nullas plane habuerunt mulieres medicas, et uiris arcana ſua credere cogebantur mulieres aegrotantes; hinc fab. 297. *mulieres*, inquit, *uerecundia ductae interierunt: nam Athenienſes cauerunt, ne quis ſeruus aut femina artem medicam diſceret.* Puella uero quaedam AGNODICE cognominata, quae ueſtibus mutatis uiri formam mentita fuerat, clam intrauit ſcholas medicas Herophili, et poſtquam praecepta artis medicae ab eo acceperat, uariis mulieribus operam ſuam conſiliumque obtulit. Quo factum eſt, ut maiori fiducia a mulieribus in ea collocata praxis medicorum ex hac parte minueretur atque decreſceret. Quod quum medici experti fuiſſent, eam apud Areopagitas accuſarunt inſciique quod ſit mulier, in crimen uocarunt propter illicitas fraudes, quibus eorum apud mulieres praxin medicam hucusque fuerit calumniata: re cognita autem Areopagitae uidebant eam mulierem eſſe, et hinc ſui ſexus homines maiorem

in ea ponere fiduciam, nulliusque criminis damnari poſſe; et *tunc Athenienſes*, inquit HYGINVS, *legem emendarunt, ut ingenuae artem medicandi diſcerent.*

§. XV.

DIOG. LAERTIVS quinque medicinae ſpecies recenſet, quarum prima medicamentis ſuccurrit, ſecunda ligando et ſecando curat, tertia uictus rationem praeſcribit, quarta in diſtinguendis morbis occupatur et ultima celeri auxilio aegrotantes doloribus liberat. *De medicorum Graecor. ſectis. l. III. nr. 49.* Quas medicinae ſpecies omnes aut ſaltem pleraſque coniunctim initio unus exercebat, obſeruante CLERICO, l. c. qui generatim medici titulo inſigniebatur. XENOPHON ideo medico tribuit notitiam non ſolum medicamentorum, ſed et inſtrumentorum Chirurgicorum: *ἰατρος οιδε και των οργειων, και των Φαρμακων, οις χρηται, τα ονοματα.* de inſt. Cyri l. V. p. 131. EVRIPIDIS teſtimonium id quoque confirmare uidetur: Ino u. 11. ſq.

- - *ὡς ἠν μοχθος ἰατροις μεγας*
τομαις ἀφαιρειν, ἡ ποτοις, ἡ Φαρμακοις
πασων μεγιςην των ἐν ἀνθρωποις νοσων.

Poſtea diſtribuebantur medici in *ἀρχιτεκτονικους και δημιουργους*, ut Clericus ex ARISTOTELE probat, polit. l. 3. c. 11. quorum priores aegrotantibus conſilia et medicamenta praeſcripſerunt, poſteriores uero ea compoſuerunt et cum aegrotis communicarunt, et ſimul priorum imperio ſubiecti fuerunt. Haec diſtributio uidetur antiquiſſima: aliam ſed recentiorem legimus in PHOTII biblioth. p. 350. qui ex Galeno tres medicorum ſectas profert: 1) *logicam* ſiue *dogmaticam*, quae ratiocinando ſanandi methodum reperit 2) *empiricam* ſiue *memorialem*, quae experimentis et obſeruationibus eam colligit 3) *methodicam*, quae ratione et experientia ſimul nititur, etſi neutro ſatis accurate. Empiricae ſectae auctor PLINIO XXIX. c. I. dicitur Acron, ut rationalis Hippocrates eſt repertor. Aliam rurſus ſectarum diſtributionem deprehendimus in CLERICO, dans l'hiſtoire de la medec. t. I. p. 334. quam Herophili tempore ortam comprobatamque fuiſſe teſtatur. Omnem medicorum ſcientiam in

tres partes digerit, et primo loco ponit *Diaeteticam*, quae regulas uiuendi ſantitati congruentes praeſcribit. (Aliis *Clinice* uocatur a κλινη, quia in lecto decumbentes aegroti uiſitabantur a Diaeteticis.) Deinde ponit *Pharmaceuticam*, quae in praeparatione medicamentorum occupatur; et tandem *Chirurgicam*, quae manuum operationibus ſanat. Quam diſtribtutionem calculo ſuo comprobat VOSSIVS et ſimul obſeruat, eos, qui Diaeteticam exercuerunt, proprie medicos fuiſſe compellatos, et caeteros dignitate ſuperaſſe, qui ipſis longe inferiores habebantur. Ex hac diuiſione ars medendi ſine dubio multa cepit incrementa, quum quilibet partem a caeteris ſeparatam, quam ſibi excolendam propoſuit, eo magis augere et explicare poterat, quum ſatis haberet, reliquarum partium tantum notitiam generaliorem ſibi comparaſſe. Quicunque horum medicorum, praecipue autem Diaeteticorum in urbem quandam ueniebant facultatem a magiſtratu impetraturi medicinae exercendae, oratione publica ſignificare neceſſe habebant, quo loco ſint nati, quorum praeceptorum inſtructione in arte medendi fuerint uſi, apud quos experientiam ſibi habitumque ſanandi acquiſiuerint, et reliqua; quae omnia ex XENOPHONTE probat WOLLIVS in diſſ. *de honoribus medicorum.* Quorum deinde inſpectioni ſubordinati erant Φαρμακοπωλαι, ῥιζοτομοι και περιοδευται, qui uel uaria medicamenta uendiderunt, uel herbas collegerunt, uel circumforanei ſ. ſellarii erant; ne falſa uterentur compoſitione, quae uel incuria uel ſtudio fieri poſſet, et tali ratione magnum ciuitati damnum afferrent. Cf. CLERICVS l. c.

de philoſ. c. XI. §. 33.

de fact. et dict. Socr. l. IV. p. 498.

§. XVI.

Perluſtratis ſcholis medicisque claris: nunc de uariis medicinae incrementis pauca exponemus. Ante autem, quam ſpecialius de illis loquamur, non poſſumus non uerba facere de expoſitione aegrotorum in uias publicas, quum haec antiquiſſimus ſanandi fuerit ritus, eo adhibitus tempore, quo medicina perexigua cepit incrementa: quem ideo praemittimus, quia

de expoſit. aegrotor. in uias publ.

ad medicos tam Aegyptios, quam Graecos multa inde redundarunt commoda, quae morborum curandorum rationes illos docere potuerint. Expoſuerunt in lectis aegrotos ante fores in uias publicas, ut quaerere poſſent ex praetereuntibus, annon ipſi ſimili morbo laboraſſent, aut alios laborantes uidiſſent, quoue remedio ad eum depellendum uſi fuiſſent, ut ſi quid medelae ipſis offerre poſſent, id lubentes facerent. Generatim de ueteribus id teſtatur MAXIMVS TYRIVS in loco, quem §. 3. exſcripſimus; et poſt eum SERVIVS ad Virgilium: *apud ueteres*, inquit, *conſuetudo erat, ut deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, uel ut extremum ſpiritum redderent terrae, uel ut poſſent a transeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.* Speciatim uero omnes huius ritus circumſtantias narrat HERODOTVS de Babyloniis ita loquens: τους καμνοντας ἐς την ἀγορην ἐκφερουσι. οὐ γαρ δη χρεωνται ἰητροισι. προσιοντες ὦν προς τον καμνοντα, συμβουλευουσι περι της νουσου, ἐι τις και ἀυτος τοιουτον ἐπαθε, ὁκοιον ἀν ἐχοι ὁ καμνων, ἠ ἀλλον ἐιδε παθοντα. ταυτα προσιοντες σημβυλευουσι και παραινεουσι ἁσσα ἀυτος ποιησας ἐξεφυγε ὁμοιην νουσον, ἠ ἀλλον ἐιδε ἐκφυγοντα. σιγῃ δε παρεξελθειν τον καμνοντα οὐπω σφι ἐξεστι, πριν ἀν ἐπειρηται ἡντινα νουσον ἐχει. Hinc depoſitus CICERONI idem eſt ac deſperatus, quoniam de illis, qui in uiis deponebantur, fere conclamatum erat: *mihi uideor*, inquit, *magnam et maxime aegram et prope depoſitam partem ſuſcepiſſe*; et ſaepius in eius ſcriptis occurrit *depoſita reſpublica* i. e. decreſcens, ad interitum uergens. OVIDIVS huc quoque reſpicit:

Aen. XII. u. 395.

lib. I. fol. 157. edit. Steph.

Verr. I. I. c. 2.

Triſt. I. III. eleg. 3.

> *Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto,*
> *Depoſitum nec qui me fleat, ullus erit.*

Ex hoc ritu ars medendi multa cepit incrementa; id quod C. FR. HVNDERTMARK pec. diſſ. probauit, in qua *de artis medicae per aegrotorum apud ueteres in uias publicas et templa expoſitionem incrementis* egit. Huius ritus ueſtigia habemus etiam in ſacris paginis Marc. II. 4. VI. 56. Act. V. 15. quae ex dictis explicari poſſunt.

§. XVII.

§. XVII.

de incrementis medicinae uariis apud Graecos.

Tali modo prima medicinae initia fuerunt conſtituta, quae, ut uidemus, plane empirica erant: non enim ſolerti cogitatione in eam inquirebant, ſed tantum obſeruabant, quo ſimiles caſus ipſos traherent, aut a quo diſſimiles reuocarent. Optime igitur SENECA medicinam definiuit per *ſcientiam paucarum herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis et uulnera coirent paulatim.* (epiſt. 95.) Tunc temporis enim nihil ſciebant, quam quod per expoſitionem aegrotorum expertum habuerunt, uel ex tabulis in templo ſuſpenſis cognouerunt, et qua ratione uulnus ligare ſanguinisque profluuium impedire poſſent. Vt breui comprehendamus, omnia, quae adhibuerunt remedia in externis conſtabant: internis uero partibus ſuccurrere non potuerunt. Ex eo quidem tempore, quo philoſophi ſcholis medicis intereſſe coeperunt, magnam partem emendata eſt medicina, qui ea, quae ueteres per experientiam ex morborum ſimilitudine acceperant, ſuis poſtea rationibus ſuperſtruxerunt. Vnde merito colligimus, eos iam tum in arte medica maiores feciſſe progreſſus, et de morborum ſtatu, deque remedii uirtute certiores fuiſſe factos. Et ſi quae erant medicamenta, quorum effectus noſcere ipſis hucusque non erat datum, periculum fecerunt ad eorum uires explorandas in animalibus, unde dictum eſt ueteribus, animalia docuiſſe homines medicinam. Haud ſecus regum benignitate aliquando talia medicamenta hominibus maleficis crucisque candidatis propinarunt, eorumqua operationem caute accurateque obſeruarunt; quem ritum Pergami obtinuiſſe ex GALENO aliisque demonſtrat VINCKIVS. (l. c. p. 56.) Quibus quidem bene inſtitutis ars medica multa accepit augmenta uariisque purgata fuit erroribus, qui ſuperſtitioſum quid falſumque immiſcuerant: HIPPOCRATIS autem aetate uel maxime eſt emendata et multum aucta. De feliciſſimo florentiſſimoque medicinae ſtatu Hippocratis aetate apud Graecos ſatis ſuperque teſtantur tot morborum genera, tot prognoſtica, totque remedia, quae hinc inde in HIPPOCRATIS ſcriptis

ptis occurrunt, et ordine alphabetico digeſta a CLERICO copioſe recenſentur. Mirum ſane uidetur, HIPPOCTATIS iam tempore tam multa fuiſſe cognita atque perſpecta, quae maximam arguunt tanti uiri perſpicacitatem, artisque medicae peritiam. Sed ingentia HIPPOCRATIS in rem medicam merita extollant recenſeantque alii, qui tam ſalutari ſtudio ex inſtituto operantur: nos in praeſenti id unum addimus, uideri nonnullis, iam HIPPOCRATIS tempore quaedam de *circulo ſanguinis* medicis fuiſſe explorata atque comperta, cuius circuli primum repertorem plurimi hodie faciunt HARVEVM. Occurrunt, obſeruante CLERICO, in libris, quos *de Diaeta* compoſuit Hippocrates, uarii termini, qui nos conuincunt, eum huius rei notitiam habuiſſe, ſu. gr. περιοδος, περιφερεσθαι, περιφορη, quae haud obſcure ad ſanguinis circulum reſpiciunt. Praecipue id CLERICVS deducit ex uoce ἀμπωτις, qua in libr. de *humoribus* utitur: *il n' y a pas de doute, qu' Hippocrate n' ait reconnu une eſpece de circulation du ſang et des humeurs. Les paſſages, qu' on a citez ſont formels. Il ſe ſert encor en un endroit d' une terme, par lequel on exprime en Grec le reflus de la mer (c' eſt a dire ἀμπωτις) pour marquer le retour des humeurs de la peau au centre du corps.* Ex IVLIO POLLVCE optime patet, ueteribus motum ſanguinis circularem fuiſſe cognitum, qui de corde loquens mentionem iniicit *emiſſionis* et *remiſſionis*, quae in eo peragatur: ἡ καρδια κολπους ἐχουσα αἱματος τε και πνευματος, ὧν το μεν ἐκπεμπει δι' ἀρτηριων, το δε ἀναπεμπει δια φλεβων. Non affirmamus ideo, omnibus promiſcue notam fuiſſe ſanguinis circulationem, ſed tantum plerisque. Caeterum ad ea confirmanda, quae ex Iulio Polluce attulimus, multum faciunt, quae de *cadauerum ſectionibus* apud ueteres legimus. De mortuis nihil dicam, in quibus diſſecandis inter Graecos occupatus fuerat Ariſtoteles, ut ex eius ſcriptis anatomicis patet. TERTVLLIANI tantum de HEROPHILO medico, qui quidem longo poſt Hippocratem interuallo uixit, teſtimonium afferam, qui eum narrat *uiuos* diſſecuiſſe homines, id quod nulla

l. c. p. 166. ſqq.

l. c. p. 137.

Onomaſt. l. II. c. 4. ſegm. 216.

la alia cauſa factum fuiſſe colligimus, quam ut ſanguinis internarumque partium motus eo clarius perſcrutari poſſet, alias
de anima c. 10. enim mortuorum corpora adhibere potuiſſet: *Herophilus*, inquit, *ille medicus, an lanius, qui ſexcentos exſecuit, ut naturam perſcrutaretur, qui hominem odit, ut noſſet, neſcio an omnia interna eius liquido explorarit, ipſa morte mutante, quae uixerunt et morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis.* Fuerunt homines, qui factis ſuis turpibus illicitisque mortem promeruerant; nec mirandum, tam crudeliter illos eſſe laceratos atque occiſos, quum paganis plerumque conſuetum fuerat grauiſſimum mortis genus maleficis infligere. Sic conſtat, Romanos quoque uirgines Veſtales, quas ſcortationis reas deprehenderunt, uiuas humo ſepeliiſſe. Huiusmodi autem hominum mortem meritorum parum forte intererat, utrum a medico diſſecarentur, an a carnifice uarie cruciarentur.

de medicis Graecor. apud exter. claris.

§. XVIII.

Medicorum Graecorum fama per omnes fere migrabat orbis partes, ita, ut gentes, quas Graeci barbaras uocant, omni ſtuderent opera, quomodo eos ad ſe trahere eorumque conſilio in re medica uti poſſent; id quod uariis exemplis firmum reddimus. Artaxerxes, magnus ille Perſarum rex, HIPPOCRATEM inducturus, ut aulam ſuam frequentaret, ipſi omnia conceſſit, quaecunque uotis modo expeti poſſunt, ſperans, fore, ut larga rerum affluentia eius animum poſſet capere; aſt ille Attalicis hisce conditionibus moueri tamen non poterat, ſed amore patriae ductus
in Cat. mai. c. 46. reſpondit: ſe patriae, non uero barbaris inſeruire, ut PLATO teſtatur. Quum Darius aegrotans medicis Aegyptiis fruſtra uſus fuerat, quippe qui uiolenta tractatione malum magis auxerunt: tandem DEMOCEDEM Crotonienſem, qui ipſi maxime commendabatur, ad ſe uocauit illique ualetudinem ſuam credidit, qui etiam adhibitis *Graecorum medicamentis* regem ex uoto ſanauit, teſte HERODOTO: ἑλληνικοισι ἰημασι χρεωμενος,
l. III. nr. 132. και ἠπιαματα τα ἰχυρα προσαγων, ὑπνον δε μιν λαγχανειν ἐποι-

ἐποίεε, καὶ ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ ὑγιέα μιν ἐόντα ἀπέδειξε. Variis deinde honoribus eum affecitDarius, aedes publicas ei habitandas dedit menſamque regiam obtulit: et tantum auctoritate apud regem ualuit Democedes, utſua interceſſione medicos Aegyptios a poena, qua eos Darius afficere uoluit, liberarit, ut in ſequentibus copioſius enarrat HERODOTVS. Huc quoque pertinet XENOPHON Cous, doctrina medica nobilis, qui tantum apud exteros ualebat, ut ipſe imperator Claudius uitam ſuam ei crederet teſte enim TACITO, *Xenophontis ſcientia uſus fuerat Claudius.* Hunc ordine excipit PLVTARCHVS Boeotus, uir in re medica eximius, qui fama ſua Traianum excitauit, ut ipſum, referente VOSSIO, dignitate ornarit conſulari, omnibusque Illyrici praefectis mandatum dederit, ne quid agerent ſine Plutarchi iuſſu; qui etiam paucis interiectis refert, Theodorum Gazam rogatum, ſi neceſſe foret libros dare in mare praecipites, quem poſtremo eſſet demerſurus, reſpondiſſe: Plutarchum. Dilui inde poſſunt, quae falſo olim affingebantur Graecorum medicis, quod ſcilicet barbaros medicamentis necarint. Hac macula illos contaminauit CATO Cenſor, qui apud PLINIVM tali modo de iis loquitur: *iurarunt inter ſe barbaros necare omnes medicina, et hoc ipſum mercede faciunt.* Forte id factum fuerat a circumforaneis, aut pharmacopolis, qui magis incuria et ignorantia, quam ſtudio, id perpetrarunt: ſi enim ipſi mediciDiaetetici ſ. Clinici id feciſſent, certe poſtea imperatores eorum medelas non admiſiſſent; ex quo potius ſincerum eorum ſtudium ſanitatis tuendae conſeruandaeque, apud quascunque eſſent gentes, eluceſcit. Id ſaltem ex hiſtoria conſtat, circumforaneos et uulnerarios Graecorum apud Romanos haud bonae fuiſſe notae: ſed propter crudelitatem in curandis uulneribus magis exoſos atque ſuſpectos; ad quod comprobandum adponimus PLINII teſtimonium de ARCHATO: *Caſſius Hemina*, inquit, *ex antiquiſſimis auctor eſt, primum e medicis ueniſſe Romam Peloponneſo Archatum, Lyſa-*

anal. XII. c. 61.

de hiſt. graec. l. II. c. 10.

XXIX. c. 2.

XXIX. c. 6.

niae

niae filium , L. Aemilio et L. Iulio Coſs. eique ius Quiritium datum , et tabernam in compito Acilio emtam ; ob id publice Vulnerarium eum fuſe fuiſſe e re dictum , mireque gratum aduentum eius: mox a ſaeuitia ſecandi urendique tranſiſſe nomen in carnificem , et in taedium artem omnesque medicos.

§. XIX.

de honoribus medicorum Graecorum. A barbarorum honore , quo Graecorum mactarunt medicos , conuertimus nos in Graeciam perluſtraturi , quibus honoribus ipſius Graeciae incolae cultores medicinae fuerint proſequusi. Primo autem ibi medicis permiſſum erat *annulum* geſtare , ut KIRCHMANNVS ex Ariſtotele docet ; iam autem annulus erat ſignum honoris et libertatis , et nemini pro lubitu annulo uti licebat ; ſic quoque Romae illi tantum , qui equeſtris fuerant ordinis, annulos geſtabant aureos. Annulorum autem uſum in Graecia deprehendimus demum poſt Iliaca tempora : cuius rei teſtem excito PLINIVM , qui annulorum hiſtoriam compoſuit , et diſertis uerbis narrat , Iliacis temporibus nullos fuiſſe annulos ; poſt ea uero tempora annulorum uſum in Graecia obtinuiſſe , colligimus ex uerbis , quae ſub initium huius capitis leguntur , et docent , annulorum uſum *e Graecia* ueniſſe : quod fieri utique haud potuiſſet , niſi ipſi Graeci annulis eſſent uſi. De *pallio* , quod geſtarunt medici diſſerit MEIBOMIVS , quo factum eſt , ut Aeſculapius toto corpore pallio circumdatus pingeretur. Tanto praeterea honore , tanta auctoritate pollebant medici , ut in regione Graeciae , Locride nominata , ex mandato regis morte plecterentur aegrotantes , qui medicorum regulas ſua ſponte transgreſſi eſſent. AELIANVS id refert : εἰ τις Λοκρων των Ἐπιζεφυριων νοσων ἐπιεν ὀινον ἀκρατον μη προς ταξαντος τυ θεραπευοντος, θανατος ἡ ζημια ἠν ἀυτω, ὁτι μη προσταχθεν ἀυτω ὁδε ἐπιεν. Porro ſummi imperantes medicos ſibi adiunxerunt archiatros , et intimam cum eis inierunt amicitiam, omnesque , qui de re medica bene meruerant , praemiis ſplendidiſſimis cumula-

Margin notes, each at the line it stands beside:
- "tr. de annulis." beside "re , ut KIRCHMANNVS ex Ariſtotele docet"
- "XXXIII. c. 1." beside "teſtem excito PLINIVM"
- "l. u. l. II. c. 37." beside "te transgreſſi eſſent. AELIANVS id refert"

cumularunt. Notum eſt ex ATHENAEO praemium, quod Alexander M. Ariſtoteli donarat, quum hiſtoriam animalium compoſuerat: id conſtabat DCCC. talentis, quae FABRICIVS ad 600000. nummos reducit. Inter *miniſtros* regum *medicos* eminet PHILIPPVS, Alexandri M. archiater, de cuius felici curatione in regis corpore peracta copioſam reliquit narrationem CVRTIVS. Quum Parmenio intimus regis amicus, eum dehortaretur literis, ne uitam ſuam Philippo crederet: rex fiduciam, quam in Philippo medico ſemper poſuerat, non abiecit, ſed interritus poculum, quod medicamento impletum fuerat a Philippo, exhauſit, et ipſi Philippo inter bibendum literas, quas Parmenio ad eum dedit calumniatorias, legendas tradidit, eumque tandem hac laude ornauit: *et nunc credo*, inquit rex, *te non minus pro tua fide, quam pro mea ſalute eſſe ſolicitum.* Huic adiungimus CRITOBVLVM inter medicos artis eximiae, qui Alexandrum M. in bello uulneratum ſpiculo perite euulſo ſanarat, ut idem refert CVRTIVS. Plures uno habuiſſe Alexandrum M. archiatros, exinde patet, et VALER. MAX. id diſerte teſtatur, qui de Philippo medico hiſtoriam referens, *itaque conuocati*, inquit, *medici attentiſſimo conſilio ſalutis remedia circumſpiciebant.* Quid quod maximum notatuque eſt digniſſimum, in hiſtoria Argiuorum inuenimus, MELAMPVM medicum adeo honoratum fuiſſe, ut non ſolum intimis amicis regis fuerit annumeratus, ſed et aequalem cum ipſo regionis partem ſuo imperio arbitrioque ſubiectam a rege in praemium acceperit, propter ſingularem quandam curationem mulierum, quae furore quodam incitatae ex domibus effugerant et in agris circumuagantes reduci haud poterant, quas felici euentu ſanauit; Adponam Pauſaniae uerba, qui hanc rem copioſe enarrat: *ἐπι γαρ της ἀρχης Ἀναξαγορου, του Ἀργειου του Μεγαπενθος μανια ταις γυναιξιν ἐνεπεσεν, ἐκφοιτωσαι δε ἐκ των οἰκων, ἐπλανωντο ἀνα την χωραν. ἐς ὁ Μελαμπους ὁ Ἀμυθαονος ἐπαυ-*

l. IX. c. 13.

Bibl. gr. l. III. c. 6.

L. III. c. 6.

l. IX. 5.

l. III. c. 8. nr. 6. de externis.

l. II. p. 150.

σε

σε σφας της νοσου, ἐφ᾽ ὧ τε αὐτος και ὁ ἀδελφος Βιας Ἀναξαγορᾳ το ἰσον ἔχουσιν. Ideo iam antea dixit Pauſanias, Argiuorum regnum tunc temporis in tres partes fuiſſe diuiſum. Optimo iure Melampus tale praemium meruit; inuentus enim ab eo ſanandi modus Argiuorum regnum ſartum tectumque ſeruauit. Eſt certe deplorandum, quod haec curandi ratio poſteritati non fuerit aſſeruata, per eam enim medici hodierni multas ſibi comparare poſſent diuitias, ſi mulieres extra domum mariti circumuagentes medicamentis reducere ipſis eſſet datum; aſt, non eſt in medico ſemper releuetur ut aeger.

§. XX.

de ſtatu medic. Graec. libero non ſeruili.

Ex dictis clare liquet, quid de controuerſia inter eruditos agitata, de ſtatu ueterum medicorum libero aut ſeruili, ſit cenſendum. Probauimus §pho antecedente, uiros nobiliſſimos, imo poteſtate in terra ſupremos, cum medicis iniiſſe amicitiam; quod certe non feciſſent, ſi medicinae cultores fuiſſent ex turba ſeruorum. Indignum enim eorum fuiſſet perſonis cum ſeruis commercium habere. Vidimus quoque medicos a plerisque nationibus ſummis honoribus eſſe affectos, quod utique in ſeruos non cadit: et ideo magis ſententiae de ſtatu libero calculum adiicimus, praeſertim quum HYGINVS nobis aſſeruarit legem ſpecialem, qua Athenienſes interdixerunt: *ne quis ſeruus artem medicam exerceret*; contra quam haud uidemus quid excipi poſſit. Quod quidam obiiciunt ex ſacris paginis, facili negotio deſtrui poſſunt. Prouocant ad locum illum Geneſeos:

Fab. 297.

C. L. v. 2.

ויצו וסף את־עבדיו את־הרפאים

i. e *quum mandaſſet Ioſephus ſeruis ſuis medicis cet.* exinde concludunt, medicinae cultores apud Aegyptios ſeruilis fuiſſe conditionis, et ideo etiam apud Graecos, qui in arte medendi ab Aegyptiis fuerunt eruditi et multa ab iſtis retinuerunt, ut iam ſupra docuimus. Sed ex uerbis S. S. nullo modo ſequitur, medicos Aegyptiorum fuiſſe

ſeruos.

ſeruos. Bene enim obſeruauit STOCKIVS, ſeruos dari duplicis generis: alii enim ſunt uilioris conditionis, et pretio conducti multo labore hominibus inſeruiunt; alii uero ſunt ſublimioris conditionis, et tanquam miniſtri magnatibus ſupremisque imperantibus conſilio inſeruiunt. Ex linguae autem Hebraeae indole eodem uocabulo propter ſimilitudinem utrique deſignantur, et ex contextu eſt dignoſcendum, cui domino inſeruierint: quo cognito, translatio ita eſt inſtituenda, ut genio linguae, in quam transfertur, reſpondeat. Melius igitur hoc loco עבד latine exprimitur per *miniſtrum* aut *archiatrum*, quam per ſeruum: ex loco parallelo id patet. Moſes in Exodo eodem uocabulo utitur, ubi Iſraelitarum murmura, quae contra ipſum et Aaronem emiſerunt propter labores a Pharaone multiplicatos, enarrat, quod dixerint, ſe in cauſa eſſe, ut odor Iſraelitarum foeteat בעיני פרעה ובעיני עבדיו non enim h. l. uoce עבד ſignificantur, niſi intimi regis amici et *miniſtri*, qui ipſi continuo ad latus fuerunt, et quorum conſilio in actionibus dirigendis utebatur: hinc ſibi ab ipſis metuebant Iſraelitae, et dixerunt: Moſen gladium dediſſe in eorum manus ad Iſraelitas interficiendos, quod ſuo conſilio regem excitare poterant miniſtri ad eos contrucitandos; id quod in ſeruos nullo modo quadrat. Et ſi ponamus, (quod uero non concedimus) Aegyptiorum medicos fuiſſe ſeruos, nequaquam exinde ſequitur, eos etiam apud Graecos ſeruis annumeratos fuiſſe. Multa quidem ab Aegyptiis acceperunt Graeci, ſed non omnia. Quod ſi quid de medicorum Graecorum conditione ſeruili afferri debet, id ex teſtimoniis Graecorum, aut aliorum, qui id diſerte de Graecis referunt, eſt hauriendum: quorum uero teſtimonia contrarium magis corroborant. CVRTIVS de Philippo medico uerba faciens eum *nobilem*, non ſeruum nuncupat; et legem Athenienſium de ſeruis a medicinae cultura arcendis iam adduximus. Imo ipſos reges medicinae operam nauaſſe apud Graecos reperimus. De Alexandro M. id teſtatur PLVTARCHVS, in eius uita; ATTALVS

in claui V. T. ſub uoce עבד

V. 21.

l. c.

c. 13.

Per-

XXXII. c. 8. Pergami rex ut medicus citatur a PLINIO in hiſtoria naturali. In
MITHRIDATIS ſcriniis Pompeius uictor uaria de remediis morbo-
rum conſcripta inuenit transtulitque Romam, et per libertum
XXV. c. 2. ſuum in linguam latinam transferri curauit, teſte eodem PLINIO.
c. XVI. Imo ipſi medici ſeruos habuerunt, ut ex CICERONIS oratione
pro Cluentio, res eſt clara. Et ſupra oſtendimus (§. XIV.) medicis
Clinicis ſubiectos fuiſſe pharmaceutas, chirurgos, circumforaneos
qui ſuis manibus medicamenta parabant, et aliis hominibus operam
ſuam manusque locarunt; idquod Clinici nunquam fecerunt: qui ae-
grotantes tantum conſilio ſubleuabant, et medicis inferioris digni-
tatis regulas praeſcribebant, ſecundum quas medicamenta compo-
nerent. Inter hos plerumque ſeruuos fuiſſe, non eſt, quod diffiteamur:
aſt de Clinicis id nunquam probari poterit. Videtur nobis, ita rem
optime conciliari, ſi obſeruamus, medicos Diaetetiicos ſ. Clinicos li-
berae ſemper fuiſſe conditionis: ſed qui eorum inſpectioni erant
ſubiecti alii, etiam *medici* uocati, plerumque ſeruos fuiſſe, pa-
tet ex PLAVTO, qui pharmaceutam medici titulo inſignit:

mercat. act. 2. sc. 4. *Certu' eſt, ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo.*

Opinionis huius et diuiſionis medicorum in liberos et ſeruos fun-
damentum habemus in PLATONE, qui duplicem medicorum condi-
leg. lib. IV. tionem ita deſcribit, ut noſtrae conciliationi fauere uideatur optime
Seruos enim medicos deſcribit per circumuagantes, qui nullam
morborum rationem afferre poſſint, ſed tantum faciant, quod
experientia compertum habent, omiſſa ſolerti inquiſitione; id
quod apprime in pharmaceutas, circumforaneos et huius gene-
ris alios medicos, quadrat. *Περιτρεχοντες και ἐν τοις ἰατρειοις
περιμενοντες, και ὀυτε τινα λογον ἑκαστου περι νωσηματος ἑκα-
στου των οἰκετων οὐδεις των τοιουτων ἰατρων διδωσιν, οὐδε ἀπο-
δεχεται. Προσταξας δε αὐτω τα δοξαντα ἐξ ἐμπειριας ὡς
ἀκριβως ειδως.* De clinicis uero et liberis medicis, paucis in-
teriectis praedicat, quod *τα νοσηματα ἀπ' ἀρχης και κατα
φυσιν* ſcrutarentur, additque eos plerumque liberis hominibus
mederi, non uero ſeruis, quibus priores medici ſuccurrunt.

Hic

Hic eſt, VIR MAGNIFICE! qualiscunque otii mei fructus, quem TVO nomini celeberrimo conſecratum inter tot fauſtas laetiſſimasque acclamationes in congratulantium turba ſubmiſſe offero. Reuocanti in animum TVA in me merita, maximis beneficiis TIBI me deuinctum eſſe non poſſum non confiteri et publice teſtari. Nonnullum ſtudiorum meorum incrementum TIBI debeo, quum mihi licuerit praelectionibus TVIS praeſtantiſſimis in ſecata mortuorum cadauera intereſſe, conſiliis TVIS de tuenda corporis ſanitate ſapientiſſimis uti, et uaria, quae ad humani corporis machinam admirando artificio extructam magis illuſtrandam faciunt, TE ductore obſeruare atque colligere. Vt uerbo comprehendam, tot tantaque TVI erga me fauoris ſigna mentem meam ſubeunt, ut ea diſtincte recenſere haud ualeam. Primam ergo arripui occaſionem, publice TIBI animum gratum fauorisque memorem ſignificandi, quam mihi hic dies feſtus, quo TIBI faſces academici iterum praeferuntur, ex animi ſententia obtulit. Gaudent uehementerque laetantur omnes ciues academici, quod conſulatus academicus Rectorisque munus ſpectatiſſimum grauiſſimumque humeris TVIS imponitur, et applaudentes animi laetitiam produnt. Liceat igitur et mihi, die tam fauſto tamque laeto, eorum augere plauſus, qui haud minorem capio uoluptatem ex honoris academici ſupremi inſignibus, quibus TE ornatum conſpicimus ueneramurque; quum TE et Rectore et Maecenate uti, mihi contigerit. Felicem academiam, quae tam ſapienti moderatore dirigitur atque gubernatur! Omnes merito uoce et manibus animum ſignificamus laetantem: habemus enim Rectorem aequum, benignum, optimum; quo ſaluo ſalua quoque erit noſtra Academia. Verum enim uero acta agerem, ſi TVA, VIR MAGNIFICE!

FICE! in rempublicam literariam, et praecipue in ſcientiam medicam merita collaudarem, quae longe ſupra laudes meas poſitae omnibus orbis eruditi incolis tam fama, quam ſcriptis, iam abunde innotuerunt. In TE omnia ea coniunctim reperire licet, quae ſeiuncta magnam conciliarunt aliis famam et uenerationem. Id unum confiteri in animum induxi, ut, ſi quid eſt in me amoris, ſi quid eſt pietatis, id omne TIBI, VIR MAGNIFICE! ſacrum eſſe uelim. Deum praepotentem ſanctiſſimis uotis oro atque obteſtor, ut TE in academiae noſtrae ornamentum, rei literariae emolumentum, familiae delectamentum, ſtudiorumque meorum patrocinium, quam diutiſſime saluum ſoſpitemque ſupereſſe iubeat; et omni rerum, quae modo uotis expeti poſſunt, largiſſima affluentia cumulatum ſeruet, protegat, tueatur.

Explicit diſquiſitio.

Obſ. Pauca quaedam in prima plagula erroneis typis ſunt deſcripta etſic emendanda: p. 5. l. 8. *incunabula* l. ult. ἑυρησθαι. p. 6. l. 29. *meriti* et ſqq. *ad* pro *a* p. 8. l. 22. *unum* l. 27. *Apollinem* l. 9. del. *re*; et forte leuiora alia.